



§. XIV.

Unde mirum amplius non est, Cometarum cursum ex integro prænuntiari posse, quemadmodum olim Cassinus futuram Cometæ semitam Christinae Suecorum Reginae in globo cælesti non sine præsentium stupore exhibuit, ac veluti hoc anno Cometæ sequuturi ortus, adparitio ad quemlibet diem, conjunctio cum Sole, nodus, itus, reditus, ac occasus præsignificabantur.

§. XV.

Postremo Cometæ proprium lumen haut possident, sed omne mutant a Sole. Quemadmodum scilicet Planetarum, ita pariter cometarum lumen est valde languidum. Sturmius enim (a) fatetur, se Cometam anni 1680. *prunæ obscurius candenti, aut massæ interminatæ tristi, ac fumido quasi lumine, in medio paulo magis, ad extrema minus collustratæ potius, quam stellæ disco rotundo, ac vivida luce coruscanti similem vidisse.* Teste Wolfio (b) caput Cometæ anno 1661. ab Hevelio observati, licet fuerit subflavi coloris, clarum, & conspicuum, nullo tamen vibranti lumine erat præditum, referebatq; in medullitio nucleum densum, & subrufum tenui materia cinctum. At vero ex languido Planetarum lumine haut immerito deducitur, eos lumen recipere a Sole: ergo a pari; præsertim quum ex plurium Cometarum observationibus constet, crescere illorum lumen, dum magis ad Solem accedunt, prout in Cometa hoc anno adparente vel clarissime fuit observatum. Unde infert Newtonus, (c) *splendescere Cometas luce Solis a se reflexa.*

§. XVI.

- (a) In Differt. de natura Cometarum c. 2. phænom. 12.
(b) In Elementis Astronomiæ §. 1167.
(c) Lib. 3. princip. Phil. Mathem. coroll. 1mo. propof. 39.